

Stamina 5, epipetala, aequalia, limbum corollae paulò superantia. *Filamenta* prope basin tubi inserta cum limbi lacinii alternantia, filiformia, basi parum dilatata, pilosiuscula pilis longiusculis sparsis in ipsa dilatata basi crebrioribus, aestivatione induplicata. *Anthera* .vali-oblongae imberbes, incumbentes, basi semibifidae lobis approximatis, loculis parallelo-contiguis medio longitudinaliter dehiscentibus. *Pollen* sphericum simplex laeve, in cunulo albicans.

Pistillum altitudine staminum. *Ovarium* liberum, sessile ovatum pilosum, basi auctum disco annulari adnato, uniloculare, placentis duabus parietalibus semiseptiformibus cavitatem fere bipartientibus, polyspermis lateribus ovuliferis ventre plano nudiusculo: *ovulis* plurimis (30 pluribus) in singula placenta confertim nec utrinque seriatim affixis. *Stylus* 1, filiformis pilosiusculus, semibifidus, lacinii filiformibus aequalibus modice patentibus glabris. *Stigmata* obtusa papulosa ipsis apicibus laciniarum styli paulo crassiora.

Capsula calyce persistenti parum aucto cincta eoque paulò brevior, ovata modice ventricosa, pilosa, unilocularis, bivalvis, valvis indivisis medio placentiferis, placentis adnatis longitudine fere loculi, lateribus semiuliferis ventre nudiusculo. *Semina* numerosa in singula placenta viginti plura maturescentia, parva, circumscriptione ovalia, trigona angulis anguste alatis, areolata fusca, nucleo ovali.

TABULÆ 27. EXPLICATIO.

EUTOCA FRANKLINII, magnitudine naturali cum foliis duobus separatim, quorum alterum bipinnatifidum ad procerius alterum ad nanum exemplar pertinet.

Sequentes omnes ad lentem aucte.

- a. ejusdem. Calyx apertus cum Pistillo.
- b. ——— Corolla aperta exhibens paria quinque membranarum tubi et Stamina cum iisdem alternantia.
- c. ——— Anthera cum portione filamenti.
- d. ——— Ovarii sectio transversalis exhibens placentas duas parietales polyspermas.
- e. ——— Capsula haud penitus matura.
- f. ——— Capsulae sectio transversalis.
- g. ——— Semen.

1. EUTOCA MENZIESII, Capsula matura aperta. 2. Ejusdem Capsulae valvula altera exhibens placentam seminibus denudatam. 3. Ejusdem Semen. 4. Idem testa remota. 5. Sectio longitudinalis Albuminis Erubryonem ostendens.

HEUCHERA, Linn.

Pentandria Digynia. Flores pentapetali, superi, capsulares cum Vahlia.

CHAR. GEN. *Caps.* unilocularis, placentis 2, parietalibus adnatis polyspermis. *Calyx* 5-fidus (nunc inæqualis), aestivatione imbricata.

ORD. NAT. Saxifrageæ inter Telliman et Vahlia.

CHAR. GEN. *Calyx* 5-fidus, aestivatione imbricata. *Petala* indivisa. *Stamina* 5. *Ovarium* uniloculare, placentis duabus adnatis polyspermis. *Styli* 2. *Capsula* semi-infera. flore emarcido coronata, birostris, inter rostra dehiscens.

Herbæ perennes, sæpius acaules. Folia radicalia conferta, elongato-petiolata, cordata, sublobata lobis serrato-incisis; stipulis lateralibus infra adnatis apicibus distinctis: caulina, dum adsunt, alterna, minora, brevius petiolata. Scapi paniculati, pedunculis trifidis basi unibracteatis, divisuris bibracteatis.

Obs. 1. In ordine Saxifragearum locus Heucherae est inter Mitellam grandifloram Pursh. (Telliman) convenientem capsulae unilocularis birostris dimidio supero flore persistente tecto, diversam staminibus